

κτίζεσθαι a Græcis, et *creari* a Latinis dicantur. Tandem juxta Patres Filii processio in Scriptura utroque generationis et creationis vocabulo, a suis imperfectionibus abstracto, explicatur; cum neutrum seorsim illam originem satis commode exponeret, quæ ut generatio ex eadem substantia, ut creatio sine generantis mutatione, productionem habet.

Ad 2^{am}. *prob. D. A.* Christus dicitur factus in sensu physico, seu creatus *N.* in sensu morali, sive prælatus *C.* Postremum sensum intellexerunt Patres plerique in textibus laudatis, et contextus etiam requirit; cum apud Joan. dicat Baptista Christum sibi esse antepositum ὅτι πρότερός μου ἦν, quia prior me erat, h. e. quia prærogativa temporis et potestatis, quam utramque vox πρότερος denotat, me antecelluit: alia expositio faceret hunc sensum quolibet scriptore indignum: Ante me creatus est, quia ante me creatus est. Similiter a Paulo Christum duntaxat dici supra Angelos evectum et declaratum, ostendit litteralis sensus juxta ac scopus totius capitis, qui erat probare Christi excellentiam summam ex æterna ipsius generatione. Textus alii ex Act. 2. 36. et ad Hebr. 3. 1. adduci soliti, et Christum *factum* perhibentes, aperte loquuntur de Christo qua homine, adeoque huc non pertinent.

Ad 3^{am}. *prob. N. A.* Textus ad Coloss. de Christo qua Deo loquitur, ut docent sequentia: *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis et in terra etc.*: sub hac autem acceptione cum sit *unigenitus a Patre*, non potest quasi prior tantum in creaturis referri; sed tanquam *genitus a Patris substantia* debet creatis ex nihilo præferri. Quia tamen *geniti* notio in nomine *primogeniti* communis est tam generationi quam creationi, potuit vox *primogenitus* usurpari etiam respectu creaturæ, ita ut *geniti* significatio tamen Verbo et creaturis diversimode accommodaretur, et sensus Pauli esset: Qui ante omnem creaturam productus est. Ubi vero alias Christus etiam secundum humanitatem *primogenitus* dicitur, uti fit ad Rom. 8. 29. et Apoc. 1. 5. etc., ea vox excellentiam, honorem, et dignitatem præcipuam designat.

Inst. 1. Filio tribuitur ignorantia et impotentia: alterum liquet ex Marc. 13. 32. *De die autem illa (judicii extremi) vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*; alterum ex Matth. 20. 23. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*; ergo.

R. N. A. Ignorantiam simpliciter a Christo removet omniscientia ejus: ignorantiam autem *judicii extremi* ea, quæ de signis Luc. 17., de loco Matth. 24., de hora Luc. 17. Christus prænuntiat; unde Ambros. L. 5. de Fid. c. 16. ait: *Quomodo nescivit judicii diem, qui horam judicii et locum et signa expressit et causas?* Ad explicandum tamen textum *D.* Christus qua Deus nescivit *extremi judicii diem N.* qua homo *subd.* respectu nostri *C.* respectu sui *N.* vel rursus *D.* spectata præcise natura humanitatis *C.* spectata unione hypostatica *N.* Christum etiam qua hominem simpliciter ac omnino ignorasse *judicii diem*, asseri non debet, ut in Libello emendationis Leporij (Labb. t. 2. p. 4183. C.), ab Augustino et Africanis Præsulibus probato, declaratur: *Nunc non solum dicere non præsumo, verum etiam priorem anathematizo prolata in hac parte sententiam; quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum.* Si qui *PATRES* contrarium dicere videntur, accipiendi sunt sensu alterutro nuper relato, vel

dicendi sunt, figura concessionis dissimulasse ignorantiam naturæ humanæ in Christo, ne *Ariani* disputationem alio abstraherent; nihilominus autem affirmasse Christi divinitatem propterea quod illa ignorantia non in divinitatem sed humanam tantum Filii mentem caderet. Priorem concedendæ ignorantie modum statuit præcipue Aug. L. 83. QQ. q. 60., in quo bina supponuntur: 1^{um}. Christum qua hominem et arcanorum divinatorum interpretem ac ministrum nihil revelasse aut dixisse hominibus, nisi mandante Patre, juxta illud Joan. 12. 49. *Ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar*: 2^{um}. In phrasi Scripturæ dici Deum id primo cognoscere, quod publico experimento prodit vel manifestat; secundum quam intelligendi sunt textus Gen. 22. 12. *Nunc cognovi, quod timeas Deum*, et Deuter. 13. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligatis Deum.*

Ex quibus sequitur, eadem phrasi recte dici Christum ignorare ea, quæ nobis non manifestat. Neque tamen simili etiam modo dicendus est Pater ignorasse diem *judicii*; quia Pater per seipsum et immediate nobis loqui non solet, sed ut ad Hebr. 2. scribitur, *olim per Prophetas, novissime per Filium.* Posteriorem exposuit GREG. M. L. 10. ep. 39. (opp. t. 3. p. 1070): *In natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit.... Itaque scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis.... habere denegavit.* Similiter impotentiam simpliciter a Christo arcent allata superius de omnipotentia; impotentiam autem in conferendo regno Dei, illud Luc. 22. 29. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

Ad text. Matth. R. D. Non est meum, qua Deus sum, dare vobis regnum *N.* qua homo sum *subd.* Non est meum, h. e. non est meæ auctoritatis et potestatis *N. h. e.* non est meæ æquitatis dare vobis jure propinquitatis, ut petitis, et quidem vobis ambitiosis id quod meritis comparari debet, et preparatum est humilibus *C.* Explicatio hæc, præterquam quod ex contextu nascatur, usurpata est a Patribus, inter quos HÆR. L. 2. cont. Jovin. n. 28. scribit: *Paratæ sunt in cælo diversæ et plurimæ mansiones.... quas non personæ accipiunt, sed opera*; et Aug. in Psal. 126. n. 5. ait: *Quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant.* Cæterum Marc. 10. 40. regnum paratum legitur sine mentione Patris; per mentionem illius autem apud Matth. factam minime excluditur Filius, qui Joan. 16. 15. de se testatur: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Solum tamen Patris mentio fit, sive quod hæc dispositio Patri per attributionem conveniat, sive ut ostendatur nec Patrem, ejus una est cum Filio voluntas, petitionibus deferre regnum, sed meritis.

Inst. 2. Filius divinitatem, nomen, et attributa divina obtinuit gratia vel merito. 1^{um}. habetur ex Apoc. 5. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem etc.* 2^{um}. ex ep. ad Philip. 2. 9. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen etc.* 3^{um}. ex Joan. 5. 22. *Pater omne judicium dedit Filio; et Act. 2. 36. Et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis; ergo.*

R. D. A. Filius, qua Deus, gratia vel merito obtinuit divinitatem etc. *N.* qua homo *subd.* gratia vel merito obtinuit divinitatem, nomen et attributa divina quoad substantiam *N.* quoad manifestationem, celebrationem et

accidentalem gloriam C. Sicut assumptio naturæ humanæ in unitatem personæ cum natura divina fuit gratia et beneficium; sic quidem natura humana divinitatem et reliqua prorsus ex gratia obtinuit: Filius tamen Dei, etiam qua homo, illa mere gratuito habuisse dici nequit; siquidem Filius homo dicitur, ex quo Verbum factum est caro: sed ex eo tempore et rationis instanti transit jure naturali ad hunc hominem quidquid Verbum erat, ita ut, quod naturæ beneficium fuit, esset suppositi proprietas naturalis. Meritum autem divinitatis et reliquorum quoad substantiam nec naturæ humanæ in Christo, nec ejus supposito tribui posse, ex ratione tum præmii tum merentis in TR. DE INCARN. ostenditur: unde priora objecta Scripturæ loca de altero præmii membro intelligere oportet.

Et quidem *primum* textum sic exponendum esse, probat tum textus græcus, qui loco *divinitatem* ponit *πλοῦτος* *divitias* seu *divitatem*, ut apud *Gelium* legitur: tum ratio concessionis indicata his verbis: *qui occisus est*, æquivalentibus illis *ibid.* v. 9. *Dignus es Domine accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es* etc.; quæ ratio si esset divinitatis quoad substantiam acceptæ, Christus non nisi post mortem Deus fuisset. Idem dicendum esse de *secundo* ostendit contextus, in quo meriti ratio tribuitur morti Christi v. 8. præcedente: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; præmii autem substantia statuitur in celebritate, honore et titulo Jesu, h. e., Salvatoris ac Redemptoris secundum v. 10. sequentiam: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur* etc. In posterioribus textibus exercitium et manifestatio judiciariæ potestatis, dominatus et dispensationis gratiarum, sicut intelligi potest ex collatione textus primi cum versu 42. Act. 10. et secundi contextus, sic etiam merito Christi non videtur esse neganda: ipsa autem potestas judicandi, dominandi et dispensandi gratias, per assumptionem humanitatis Christo communicata, non subest merito; sed, exposita nuper ratione, beneficium naturæ est simul et proprietas personæ. V. PETAV. de Trinit. L. 2. c. 1-4. et L. 3. c. 1-7.

350. *Obj. III.* Spiritus sanctus est creatura; tum quia Amos 4. 13. in Græco Deus dicitur *creans spiritum*: tum quia Joan. 1. 3. per Verbum *omnia facta esse* perhibentur; ergo Deus esse nequit.

Conf. 1. Spiritus Prophetarum est Spiritus sanctus, quo scilicet inspirante Prophetæ loquuntur: sed 1. ad Cor. 14. 32. dicitur: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*; ergo 2. BASILIUS et HILARIUS suis in libris nusquam Spiritui sancto tribuunt nomen Dei: quin nec Concilium Constantinopolitanum definivit Spiritum sanctum Deum esse: demum Ecclesia antiquitus nullas ad Spiritum sanctum preces dirigebat; ergo Spiritus sanctus ab illis non credebatur Deus.

R. N. A. *Ad prob. 1^{am}.* R. Non intelligi hic Spiritum sanctum, sed, ut Vulgata habet, *ventum*; quod comparatio cum versu 9. declarat.

Ad prob. 2^{am}. R. τὸ *omnia* æque parum complecti sub se Spiritum sanctum, ac Patrem; sed ea duntaxat, quæ natura a Verbo diversa sunt.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. M. Spiritus Prophetarum insitus, seu mens humana Prophetarum est Spiritus sanctus. N. Spiritus Prophetarum inditus, seu inspiratio divinitatis est Spiritus sanctus T. Priorem autem, non hunc, in-

telligi in objectione, vel ipsa vox græca sine articulo et in plurali posita satis demonstrat.

Ad Conf. 2^{am}. R. T. A. N. Cons. BASILII fidem abunde vindicavimus; HILARIUS in LL. de Trin. sæpius negat Spiritum sanctum esse creaturam, et in Comment. ad Matth. c. 33. exponens baptismi formulam, trium Personarum nomina exprimi dicit, *ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus*: Concilium Constantinopolitanum vero Spiritum sanctum vocat *Dominum et vivificantem*, dicitque *procedere* a Patre et Filio, cum Patre et Filio simul adorari et conglorificari: Ecclesia tandem per Spiritum sanctum ad Patrem preces olim et nunc finire consuevit. Unde patet non aliam prioribus seculis, quam quæ in præsens viget, fuisse de Spiritu sancto fidem.

Cæterum rariorem de aperta divinitatis Spiritus sancti fide professionem Patribus illis persuasit œconomia quædam a circumstantiis suæ ætatis probata: Concilii autem de nomine *Dei* Spiritui sancto tribuendo abstinentiam fecit forsitan experta jam in *Arianis* malignitas usurpandi hanc vocem in sensu improprio: Ecclesia suas demum plerumque ad Patrem dirigendi preces fundamentum habuit, in eo quod ille sit fons totius divinitatis, et per appropriationem agat personam Dei; cum Filius ut mediator, et Spiritus sanctus ut auctor precum nostrarum habeatur.

351. *Observe.* Non duximus operæ pretium exceptiones dissolvere, quas *Sociniani* contra Scripturas in dogmatis nostri confirmationem allatas facere solent, propterea quod major earum pars ex solo contextu facile refellatur; reliquæ autem in *Scriptura Polem.* et *Dogm. explicata*, tanquam proprio in loco, uberrime vindicentur. Insigniores tamen ex his aliquæ non videntur hic silentio omittendæ.

1^a. Earum est contra argumentum quod ex *Dei nomine*, pro asserenda Filii et Spiritus sancti divinitate, formatum putant inane; tum quia idem nomen Moysi et aliis hominibus legitur in Scriptura datum: tum quia vox θεός sine articulo ὁ in Græcis usurpata summum Deum non significat. Sed contra priorem exceptionis rationem est imprimis, quod in V. T. duntaxat, minime autem in N. T. personis creatis vocabulum Dei sit attributum: Deinde nomen *Elohim* creaturis concessum, tum ob pluralem numerum, tum ob significationem sibi propriam, declarat usurpationem sensus tantum figurati: demum plerumque quidpiam additur, quod significationem vocis multum temperat; ut dum Moyses dicitur *Deus Pharaonis constitutus*; iudices autem qui Dii erant dicti, perhibentur *sicut homines morituri*. Contra posteriorem facit, quod hæc regula non sit perpetua; cum Joan. 1. 6. 12. 13. et 18. ponatur θεός sine articulo, ubi tamen Deus summus intelligitur; et Act. 7. 43. ac 2. ad Cor. 4. 4. et ad Gal. 4. 8. addatur articulus, sed idolum designetur. Si vero etiam constans foret, non tamen obsesset; cum Joan. 20. 28., ad Rom. 9. 5. et 1. Joan. 5. 20. Christus dicatur ὁ θεός, idem etiam Act. 5. 4. aliisque locis de Spiritu sancto laudatis observetur.

2^a. Est contra textus decretorios ex Ep. ad Rom. 9. 3. et 1. Joan. 5. 20. pro divinitate Filii usurpatos; cum in priori post partem primam: *ex quibus Christus secundum carnem*, videatur ponenda interpunctio; hinc vero pars secunda: *qui est super omnia Deus benedictus in secula*, non ad Chri-

stum; sed ad Patrem sit referenda : vel, siquidem vox *Deus* cum Christo recte construitur, tamen non dicatur *Deus absolute*, sed cum restrictione *super omnia*, scilicet creata. Adhæc in posteriori rursus verba illa : *Hic est verus Deus*, referenda videntur ad Patrem, quantumvis sermo proxime fiat de Filio Dei, cum etiam in 2. Joan. v. 7. et alias pronomen *hic* non ad proximum, sed remotum substantivum pertineat.

Sed enim vanitas prioris patet; tum quia res ipsa ac series verborum, præsertim vero articulus cum participio ὁ ὄν, utpote relativus et sententiam inchoatam continuans, hanc interpretationem non admittit : tum quia τὸ *super omnia* adeo non limitat præminentiam Christi, ut potius ampliolem significationem habeat, quam τὸ *super omnes*, quod tamen in Ep. ad Ephes. 4. 6. Deo et Patri attributum, nemo pro limitatione divinitatis accipit. Nec minus inanem esse posteriorem exceptionem probat et scopus in ead. Ep. 1. 1. et 2. indicatus, et ineptia propositionis, quæ in Adversariorum sensu hæc foret : hic verus Deus est verus Deus. Porro, quod pronomen ὁδτος ad remotiora referatur, perraro accidit, et tunc fit præcipue, si propinquius *indirecte* tantum ac in obliquo sensum ingrediatur, ut fit in exemplo citato; cujus etiam significatio ita est aperta, ut neminem facile in fraudem inducat. Contraria omnia se produnt in propositione nostra.

3^a. Denique est contra probationem ex Act. 5. pro Spiritu sancti divinitate deductam. Nam 1^o. in Græco legitur ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod non significat mentiri Spiritui sancto, sed mentiri te et Spiritum sanctum vel fallere, vel simulare, scilicet propter hypocrisin : 2^o. Siquidem *Ananias* dicatur etiam esse mentitus Spiritui sancto, id duntaxat verum est quod Apostolis erat mentitus, in quibus Spiritus sanctus degebat. 3^o. Licet idem dicatur mentitus Spiritui sancto et Deo, non tamen recta est argumentatio ista : *Ananias* mentitus est Deo : *Ananias* eodem tempore mentitus est Spiritui sancto ; ergo Spiritus sanctus est Deus ; sicut, licet Exod. 16. dicatur populus murmurasse contra Moysen et Aaron una ac Deum, minus recte sic argumentaberis : Populus murmuravit contra Moysen et Aaron : populus eodem tempore murmuravit contra Deum ; ergo Moyses et Aaron sunt Deus.

Sed quod 1^{am}. exceptionem attinet, ipso *Wolzogenio* teste, mentiri Græce dicitur nunc cum Dativo, nunc cum Accusativo casu, sine aut cum præpositione *ad* vel *in* ; ut *Grotius* ex sacris, *Glassius* ex profanis Scriptoribus ostendit, ac in ipso Actorum Capite controverso ex versu 3. et 4. manifestum est, Bezaque in exemplaribus quibusdam particulam *in* adjectam testatur. Perperam itaque versio vulgata notatur erroris. Præterea *prior* substitutio nihil officit; cum, quem fallere quis vult, eidem mentiatur : *posterior* autem est falsa ; cum hypocrita quidem dicatur mentiri se aut simulare sanctum, non vero Spiritum sanctum. 2^a. Exceptio falsum dicit : quia Scriptura hic loci nomine Spiritus sancti non intelligit Apostolos, sed Deum, quem per disertam oppositionem distinguit ab hominibus. Hoc autem dissimulato, nihilominus tenet argumentum nostrum ; quoniam qui mentitur Spiritui sancto in Apostolis degenti, postea dicitur mentitus Deo. In 3^a. disparitas inter utramque argumentationem patet ex Scriptura, quæ distinguit Moysen et Aaron a Deo, non vero Spiritum sanctum ; sed homines duntaxat. Nam Exod. 16. 2. dicitur : *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra*

Moysen et Aaron, et v. 8. additur : *Nec contra nos murmur vestrum est, sed contra Dominum* ; cum Act. 5. 3. et 4. legatur : *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto... Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

ARTICULUS III.

AN TRES IN DIVINIS PERSONÆ SINT CONSUBSTANTIALES ?

352. *Nota.* Ομοούσια seu consubstantialitas ex nominis etymo juxta ac usu sive æqualitatem sive unitatem substantiæ significat, substantiam seu usiam accipiendo vel pro persona vel pro natura seu essentia. Unitas hæc alia est figurativa et impropria, alia vera ac propria : *figurativa* habetur vel per compositionem, vel per analogiam, vel per collectionem ; *vera* autem vel per mentis præcisionem et rationem specificam, vel per rei indivisionem et individuationem realem. In Divinis unitatem Personarum veram eamque individua-lem ac numericam statuerunt *Sabellius* et *Paulus Samosatenus*, et eatenus tres Personas dixerunt consubstantiales ; unitatem naturæ tantum figurativam admiserunt *Triformes* quidem per compositionem, *Ariani* per analogiam, et *Joachimus Abbas* per collectionem, et hinc tres Personas vel dicere consubstantiales recusarunt, vel tropica significatione acceperunt : eandem unitatem duntaxat *specificam* voluerunt *Tritheite*, ac proin tres Personas vere quidem secundum divinitatem æquales et eatenus consubstantiales dixerunt, divinitatem tamen ipsam non *unam numero* ac individua-lem aut immultiplicabilem, sed quoad rem divisam ac multiplicem decreverunt : unitatem tandem realem, numericam et individua-lem divinae naturæ amplectuntur *Catholici*, itaque dicunt Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse consubstantiales, ut unus idemque numero sint Deus. Catholicum hoc dogma exposituri, argumento primum communi præcipue *figurativam*, tum proprio *mere intentionalem* unitatem divinae naturæ profligabimus.

353. *Dico I.* Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt vere consubstantiales, et unus idemque Deus, non tantum per *figuram*, sed per *veritatem* substantiæ.

Prob. Quibus asseritur in Divinis vera naturæ, operationis et attributorum unitas, vere consubstantiales sunt, et unus idemque Deus, non per figuram, sed per veritatem substantiæ ; quia juxta *Aug. Sermon. 38. de temp.* (al. *Alcuin. de Trinit. L. 1. c. 13. seqq.*) natura hic idem est ac essentia seu substantia, operationes vero physicam, attributa metaphysicam naturæ notionem explicant et probant : sed Patri, Filio ac Spiritui sancto in Divinis asseritur a Sacris Litteris et Traditione triplex illa unitas ; ergo, Assumptio asseritur quoad singulas partes.

Quoad 1^{am}. Ex 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in celo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Unde *Epp. Africanus* in Libel. fid. ad *Huneric.* aiunt (*Labbe. t. 4. p. 4134. B.*) : *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur, ait namque : Tres sunt etc.* Consentiant *Fulgent. L. de Trin. c. 4.* et *Idacius, seu Vigilus*